

www.e-rara.ch

Q. Septimii Florentis Tertulliani Carthaginiensis presbyteri, Opera quae hactenus reperiri potuerunt omnia

**Tertullianus, Quintus Septimius Florens
Parisiis, 1608**

Stiftung der Werke von C.G.Jung, Zürich

Shelf Mark: Online

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-11127>

Q. Septimii Florentis Tertulliani ad martyras liber.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ARGVMENTVM LIBRI AD MARTYRAS,
PER IACOBVM PAMELIVM.



AD Martyras in carcere constitutos in ipsis Persecutionis quinta Christianorum sub Se-
uero initijs librum hunc misit Tertullianus, beneuolentiam captans ab exemplo idiotarum,
quorum dictata etiam perfectiss. gladiatoribus subinde profuerint.

I. Imprimis verò ad pacem & concordiam adhortatur, utpote quam ipsam quidam in
Ecclesia non habentes à Martyribus exorare consueuerint.

II. Deinde ut non eos conseruet, quòd segregati sunt à mūdo; quippè qui carcer sit grauior, quique iudicia
non Proconsulis, sed Dei sustineat; cuique etiam extra carcerem Christianus renunciauit, in quo etiam
caro non amittit quæ iusta sunt per Agapen fratrum, & quòd hoc illis carcer præstet, quod eremus Pro-
phetis.

III. Etsi autem molestus sit vocatos esse nos ad militiam Dei viui, cum in sacramenti, baptismi nempè, ver-
ba respondimus. Militum itaque exemplo agonem subeant, in quo Agonothetes Deus, Xystarches Spi-
ritus sanctus, corona aternitatis brabium, Epistates Christus Iesus, qui eos spiritu vnixerit, & ad hoc
scamma produxerit.

IIII. Neque sibi blandiantur, quia caro infirma est. addidit enim Dominus spiritum promptum esse de-
bere; qui proinde, timeat licet caro, gladium, crucem, rabiem bestiarum, & summam ignium pœnam, con-
traponat sibi, acerbam licet ista, à multis tamen vec viris tantum, sed & fœminis æquo animo accepta,
immò & vltro appetita fama & gloria caussa; exempli gratia, Lucretia, Mutij, Heracliti, Empe-
doclis, Peregrini, Didonis, vxoris Hasdrubalis, Reguli, Cleopatra meretricis Atheniensis & La-
cedæmonum.

V. Immò & affectationis morbo à gladiatoribus omnia seuitie & cruciatus certamina conculcari,
qui Christianos confundent in die iudicij, si reformident pari pro veritate in salutem.

VI. Denique conuertantur ad ipsam conditionis humana contemplationem, in qua constanter adeunda
sunt, quæ etiam inuitis accidere solent, incendij, ferarum, latronum pericula; maxime ijs ipsis tempori-
bus, quibus hominis (nempè Imperatoris) caussa, inopinatos natalibus, dignitatibus & ætatibus exi-
tus multi referebant.

Ceterum librum hunc more suo imitatus est B. Cyprianus Epistolis ad Martyras & Confessores va-
rios 7. 9. 16. 25. 56. 77. & 81. tum libris de Exhortatione & de Laude Martyrij. Immò verba quedam
transcripserunt ex v. capite, & B. Cypr. Epist. 2. ad Donatum, & S. Hieronymus Epistolis ad De-
metriadem de Virginit. ac ad Saluinam de Viduit. atque ad Heliodorum verba cap. 3. & 4. & alibi
alia, uti infra latius. Denique iam olim tamquam Tertulliani visus & lectus est à Trithemio & Poli-
tiano, & editus à Rhenano ex Paterniacensi ac Gorziensi primùm cod. cum Scholijs, deinde & Adno-
tationibus. Quibus nunc & nostras adiecimus, & ex tribus exemplaribus Vaticanis postremum casti-
gauimus.

Q. SEPTIMII FLORENTIS
TERTVLLIANI AD MARTYRAS LIBER.

CAP. I.



INTER carnalis alimenta, benedicti Martyres designati, quæ vobis & do-
mina mater Ecclesia de vberibus suis, & singula fratres de operibus suis proprijs
in carcerem subministrant, capite aliquid & à nobis, quod faciat ad spiritum quo-
que educandum. Carnem enim saginari, & spiritum esurire non prodest. Imò si
quod infirmum est, curatur: æquè quod infirmius est, negligi non debet. Nectan-
tus ego sum, ut vos alloquar. Veruntamen & Gladiatores perfectissimos non tan-
tùm magistri & præpositi sui, sed etiam idiotæ, & superuacue quique adhortantur de longinquo, ut
sape

A sæpè de ipso populo ⁸ dictata suggesta profuerint. In primis ergo benedicti, nolite contristare Spiritum sanctum, qui vobiscum introijt carcerem. Si enim non vobiscum nunc introisset, nec vos illi hodie fuissetis. Et ideò date operā, vt illic vobiscum perseueret: ita vos inde perducatur ad Dominum. Domus quidem diaboli est & carcer, in qua familiam suam continet. Sed vos ideò in carcerem peruenistis, vt illum etiam in domo sua conculcetis. Iam enim foris congressi conculcaueratis. Non ergo dicat: In meo sunt, tentabo illos vilibus ⁹ odijs, affectionibus, aut inter se dissensionibus. Fugiat conspectum vestrum, & ¹⁰ in ima sua delitescat, contractus & torpens, tanquam coluber exantatus, aut effumigatus. Nec illi tam benè sit in suo regno, vt ¹¹ vos committat: sed inueniat munitos, & concordia armatos: quia pax vestra bellum est illi. Quam pacem quidam in ecclesia non habentes, à ¹² martyribus in carcere exorare consueuerunt. Et ideò eam etiam propterea in vobis habere, & fouere, & custodire debetis: vt si fortè & alijs præstare possitis. [¹³ Cetera æquè animi impedimenta vsque ad limen carceris deduxerint vos, quousque & ¹⁴ parentes vestri. Exinde segregati estis ab ipso mundo. Quanto magis à seculo rebusque eius? Nec hoc vos consternet, quòd segregati estis à mundo. Si enim recogitemus ipsum magis mundum carcerem esse, exisse ¹⁵ vos è carcere, quàm in carcerem introisse intelligemus. Maiores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant. Grauiore catenas induit mundus, quæ ipsas animas hominum constringunt. Peiores immunditias expirat mundus, libidines hominum. Plures postremò mundus reos continet, scilicet vniuersum hominum genus. Iudicia denique non ¹⁶ Proconsulis, sed Dei sustinet. Quo vos benedicti de carcere in ¹⁷ custodiarium si fortè translatos existimetis. ¹⁸ Habet tenebras sed lumen estis ipsi. Habet vincula, sed vos soluti Deo estis. ¹⁹ Triste illic expirat, sed vos odor estis suauitatis. Iudex expectatur de iudicibus, sed vos estis de iudicibus ipsis iudicaturi. Contristetur illic, qui fructum seculi suspirat. ²⁰ Christianus etiam extra carcerem seculo renunciauit, in carcere autem etiam carceri. Nihil interest vbi sitis in seculo, qui extra seculum estis. Et si aliqua amisistis vitæ gaudia, negotiatio est aliquid amittere vt maiora lucreris. Nihil adhuc dico de præmio, ad quod Deus martyres inuitat. Ipsam interim conuersationem seculi & carceris comparemus, si ²¹ non plus in carcere spiritus acquirit, quàm caro amittit; imò & quæ iusta sunt, caro non amittit ²² per curam Ecclesiæ, & ²³ agapen fratrum: & insuper quæ semper vtilia fidei, spiritus adipiscitur. ²⁴ Non vides alienos Deos, non imaginibus eorum incurris, ²⁵ non solennes Nationum dies ipsa commixtione participas, non nidoribus spurcis verberaris, non ²⁶ clamoribus spectaculorum, atrocitate, vel furore, vel impudicitia celebrationum cæderis: ²⁷ non in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt: vacas à scandalis, à tentationibus, à recordationibus malis, iam & à persecutione. Hoc præstat carcer Christiano, quod eremus Prophetis. Ipse Dominus in secessu frequentius agebat, vt liberiùs oraret, vt seculo cederet. Gloriam denique suam discipulis in solitudine demonstrauit. Auferamus carceris nomen, secessum vocemus. Et si corpus includitur, et si caro detinetur, omnia spiritui patent. Vagare spiritu, spatium spiritui, & non stadia ²⁸ opaca aut porticus longas proponens tibi, sed illam viam quæ ad Deum ducit. Quotiens eam spiritu deambulaueris, totiens in carcere non eris. Nihil ²⁹ crus sentit in neruo, quum animus in cælo est. Totum hominem animus circumfert, & quo velit transfert. Vbi ³⁰ autem erit cor tuum, illic erit & thesaurus tuus. Ibi ergo sit cor nostrum, vbi volumus habere thesaurum. [Sic ³¹ nunc benedicti carcer etiam Christianis molestus. Vocati sumus ad militiam Dei viui, iam tunc, cum ³² in sacramenti verba respondimus. ³³ Nemo miles ad bellum cum delicijs venit, ³⁴ nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de ³⁵ papilionibus expeditis & substrictis: vbi omnis duritia, & ³⁶ imbonitas, & insuauitas constitit. Etiam in pace, labore & incommodis bellum pati iam ediscunt: in ³⁷ armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, ³⁸ testudinem desiccando. Sudore omnia constant, ne corpora atque animi expauescant: De umbra ad solem, & sole ³⁹ ad cælum, de ⁴⁰ tunica ad lorica, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. ⁴¹ Proinde vos Benedictæ, quodcunque hoc durum est, ad exercitationem virtutem animi & corporis deputate. Bonum agnem subitura estis, in quo ⁴² Agonothetes Deus viuus est: Xystarches Spiritus sanctus: ⁴³ corona æternitatis, brabium, angelicæ substantiæ politia in cælis, ⁴⁴ gloria in secula seculorum. Itaque Epistates vester Christus Iesus, qui vos spiritu vnxit, & ad hoc scamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriores tractationes à liberiore conditione seponere, vt vires corroborarentur in vobis. Nempè enim & athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vacent: continentur à luxuria, à cibis lætioribus, à potu iucundiore. Coguntur, cruciantur, fatigantur; quanto plus in exercitationibus laborauerint, tanto plus de victoria sperant. Et illi, inquit Apostolus, vt coronam corruptibilem consequantur. Nos æternam consecuturi, carcerem nobis pro palæstra interpretemur, vt ad stadium tribunalis benè exercitati incommodis omnibus producamur: quia virtus duritia extruitur, mollitia verò destruitur. [⁴⁵ Scimus ex Dominico præcepto, quòd caro infirma sit, spiritus promptus. Non ergo nobis blandiamur, quia Dominus consensit, carnem infirmam esse. Propterea enim prædixit spiritum promptum esse, vt ostenderet quid cui debeat esse subiectum, scilicet, vt caro seruiat spiritui, infirmior fortiori, vt ab eo etiam ipsa fortitudinem assumat. Colloquatur spiritus cum carne, de communi salute, nec iam de incommodis carceris, sed ipso ago-

Ephes. 4.

CAP. II.

Sap. 3.

Marc. 1.

Luc. 4.

Matth. 17.

Marc. 9.

Luc. 2.

1. Pet. 1.

Matth. 6.

C. III.

Psal. 83.

1. Cor. 9.

C. IIII.

ne & praelio cogitans. ⁴⁶ Timebit forsitan caro gladium grauem, & crucem excelsam, & rabiem bestiarum, & summam ignium poenam, & omne carnificis ingenium in tormentis. Sed spiritus contraponat sibi & carni, acerbam licet ista, à multis tamen æquo animo excepta, imò & vltro appetita, famæ & gloriæ causa, nec à viris tantum, sed etiam à fœminis, vt vos quoque benedictæ sexui vestro respondeatis. Longum est si enumerem singulos qui se gladio confecerint, animo suo ducti. De fœminis ad manum est ⁴⁷ Lucretia, quæ vim stupri passa, cultrum sibi adegit in conspectu propinquorum, vt gloriam castitati suæ pareret. ⁴⁸ Mutius manum suam dexteram in ara cremavit, vt hoc factum eius fama haberet. Minus fecerunt Philosophi, ⁴⁹ Heraclitus, qui se bubulo stercore oblitum exussit. Itē ⁵⁰ Empedocles, qui in ignes Aetnæi montis dissiluit, & ⁵¹ Peregrinus qui non olim serogo immisit: cum fœminæ quoque contempserint ignes. ⁵² Dido, cum post virum dilectissimum nubere cogeretur: Item ⁵³ Asdrubalis vxor, quæ iam ardente Carthagine maritum suum supplicem Scipionis videret, cum filiis suis in incendium patriæ deuolauit. ⁵⁴ Regulus dux Ro. captus à Carthaginensibus, cum se vnum pro multis captiuis Carthaginensibus compensari nolisset, maluit hostibus reddi, & in arcæ genus stipatus, vndique extrinsecus clauis transfixus, tot cruces sensit. Bestias fœminæ libens appetijt, & vtique horridiores aspides serpentes, tauro, vel vrsu, quas ⁵⁵ Cleopatra immisit sibi, ne in manus inimici perueniret. Sed mortis metus non tantus est, quantus tormentorum. Itaque cessit carnifici ⁵⁶ meretrix Atheniensis, quæ conscia coniurationis cum propterea torqueretur à tyranno, & non prodidit coniuratos, & nouissimè linguam suam comestam in faciem tyranni expuit: vt nihil agere se scirent tormenta, et si vltro perseverarent. ⁵⁷ Nam quæ hodie apud Lacedæmonas solennitas maxima est *Ἀγυαγῶπις*, id est flagellatio, non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adolentes flagellis affliguntur astantibus parentibus, & propinquis, & vtī perseuerent adhortantibus. Ornamentum enim & gloria deputabitur maiore quidem titulo, si anima potius cesserit plagis, quàm corpus. Igitur si tantum terrenæ gloriæ licet de corporis & animi vigore, vt gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant sub præmio laudis humanæ, possum dicere, modicæ sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cœlestis & diuinæ mercedis. ⁵⁸ Tanti vitreum? quanti verum margaritum? Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso? [⁵⁹ Omitto nunc gloriæ causam. Eadem omnia sæuitiæ & cruciatus certamina, iam apud homines affectatio quoque & morbus quidam animi conculcauit. Quot ociosos affectatio armorū ad gladiū locat? Certè ad feras ipsas affectatione descendunt, & de morsibus & de cicatricibus formosiores sibi videntur. ⁶⁰ Iam & ad ignes quidam se autorauerunt, vt certum spatium in tunica ardente conficerent. Alij inter venatorum taureas scapulis patientissimis inambulauerunt. Hæc benedicti non sine causa Dominus in seculum admisit, sed ad nos & tunc exhortandos, & in illo die confundendos, si reformidauerimus pati pro veritate in salutem, quæ alij affectauerunt pro vanitate in perditionem.] ⁶¹ Sed hæc exempla constantiæ omittamus de affectatione venientis. Conuertamur ad ipsam conditionem humanæ contemplationem, vt & illa nos instruant, si quā constanter ad eūda sint, quæ & inuitis euenire consueuerunt. Quoties enim incendia viuos cremauerunt? quotiens feræ & in syluis suis & in ⁶² medijs ciuitatibus elapsæ caueis, homines deuorauerunt? quot à latronibus ferro, ab hostibus etiam cruce extincti sunt, torti prius, imò & omni contumelia expuncti? Nemo non etiam hominis causa pati potest, quod in causa Dei pati dubitat. Ad hoc quidem vel præsentia nobis tempora documenta sint, ⁶³ quantæ qualésque personæ inopinatos natalibus, & dignitatibus, & corporibus, & ætatibus suis, exitus referunt, hominis causa: aut ab ipso, si contra eum fecerint, aut ab aduersarijs eius, si pro eo steterint.

ADNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM AD MARTYRAS.

I. AD MARTYRAS.] Sic legimus ex tribus Vaticanis codicibus, pro eo quod erat MARTYRES. Porro non iis solis (inquit Rhenanus in Argumento huius libri) Martyrum appellationem accommodabat ea ætas, qui iam tolerati supplicij pro Christo mortem obierant, sed & illis qui in confessione nil tormentorum atrocitate moti firmiter perstiterant, etiam si adhuc in carcere detinerentur; de quibus intelligit Cyprianus, quum scribit: Fecerunt ad nos de quibusdam beati Martyres litteras. Item: Si qui libello à Martyribus accepto de seculo excederent. Sicque non modo Cyprianus Martyras appellare solet, sed & Tertullianus hoc loco. Verum scitè addit, designati. Quin eos etiam hoc nomine solitos vocari indicat, qui dimissi fuissent; vt quum de Valentino inquit: Sed alium ex Martyrij prærogatiua loci potitum indignatus. & de Præca:

Insuper de iactatione martyrij inflatus, ob solum & simplex & breue carceris tedium. Nec aliter Cyprianus dixit in Epistola, qua Celerinum in ordinem cleri significat adscitum: Commeatum dando nobis confessoribus suis & Martyribus gloriosis. Vbi commeatum accipit pro liberatione & dilatione, qua vita captiuo & mori parato conceditur. Equidem in sanctis quibusdam, vt ipse alibi scribit, nequaquam fuit minor confessionis virtus, sine testimonio passionis. Neque enim in confessoribus Christi dilata Martyria meritum confessionis minueret, sed magnalia diuinæ protectionis ostendere, docet ad Luc. Romanum Pont. scribens. Confessoris nomen in ista significatione quam exposuimus, Cypriano familiare, recentior ætas etiam nec carcere nec tormenta perpejsis attribuit. Ille verò ad Moysen & Maximum presbyteros scribens: Beatum, inquit facit prima & vna

¶ Una confessio. Vos totiens confitemini, quotiens rogati ut de carcere recedatis, carcere fide & virtute praeligitis. Hattenus Rhenanus. Cuius sententia nos quoque accedere quod ad Martyras adinet, de Confessoribus non item, latius demonstramus Adnot. nostris in S. Cypri. Epist. 9. quæ Martyribus & Confessoribus inscribitur num. 8. In Epist. quoque 30. num. 7. Et verissima est illa mea interpretatio quoad S. Cyprianum: verum vel ex solo isto titulo patet Martyras appellari Tertulliano, non solum eos qui aut torti essent & tormenta perpassi, sine viis, sine defuncti, sed & eos, qui ut torquerentur, inclusi erant, quos peculiariter S. Cyprianus Confessores nuncupat. Neque enim tota hoc libro vlla tormentorum iam perpassorum mentio, sed duntaxat carceris & metus pœnarum.

CAP. I.

2. Inter carnis alimentâ, &c.] Caput hoc primum post captam benivolentiam Martyrum, non aliud est quam: Ad pacem & concordiam exhortatio, in qua imitatur Auctorem S. Cypri. sub finem Epist. 7. ad Rogatianum & alios Confessores, & insuper alibi locis infra citatis. Ad intellectum autem huius loci facere adnotavit Rhenanus in Adnotationibus quod inferius dicit: Imò: & quæ iusta sunt, caro non amittit per curam Ecclesiæ, & agapen fratrum. Sanè D. Cyprianus epist. 37. seu 6. lib. 3. admonet presbyteros & diaconos, ut gloriosa voce Domino confessis, omnis diligentia prebeatur. Ibidem mox Tertullum quendam ab hoc pio officio laudat, quod videlicet circa curam corporum captivis Christianis non desit.

3. benedicti.] id est laudandi (inquit Rhenan.) Hoc Epitheto Martyres ornat Tertullianus, ut paulopost: Imprimis, ergo benedicti. Et infra ad mulieres: Proinde vos benedictæ. Quod Eleutherio Pont. Rom. & martyri iam defuncto lib. de præscr. adu. hæres. cap. 30. etiam adtribuit. Cyprianus Fortissimos & beatissimos subinde vocare solet, quodam loco Fortissimos & fidelissimos.

4. Martyres designati.] Designati (inquit idem) id est, futuri martyres. Metaphora ab electis magistratibus sumpta, qui designati dicuntur, quum eliguntur. Suetonius in vita Claudij Caesaris in fine: Nam & quum Consules designaret, neminem ultra mensem, quo obijt, designavit. Porro quos alloquitur Tertullianus, nondum Martyrium tulerant, sine fecerant, ut Cyprianus loquitur, sed expectabant, ut est apud eundem, quotidie læti profectionis suæ salutarem diem, & iam iamque de sæculo recessuri ad martyriam munera & domicilia diuina properabant.

5. & domina mater Ecclesiæ.] Obserua (ut ibidem Rhenan.) quod matrem Ecclesiæ pulchrè dominam vocat. Addit verò: de vberibus suis. nam præcessit: mater, quibus significat thesauros Ecclesiæ. Vide supra libro de Orat. r. 2. num. 7.

6. de operibus suis proprijs.] Docet enim (inquit idem) Paulus ad Ephesios scribens, etiam proprijs manibus laborandum, ut habeas quod indigenti communices. Ergo pistor panem miscebat, calcæarius calcos, telam textor, hanc fullo grâti curabat consuebat vestiarius. Alius pecuniam mittebat, diurno labore collectam. Vide autem quantum prisca Martyribus tribuerint.

7. Gladiatores, &c.] Quod hic habetam de Gladiatoribus, quam eorum Magistris & Præpositis, distulimus usque ad librum de Spectaculis.

8. dictata.] Dictata (eodem interprete) non solum ludi magistrorum sunt litteras docentium. Sic & Suetonius in vita Iulij Caesaris, de gladiatoribus loquens: Tyrones, inquit, neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos, ac etiam per Senatores armorum peritos erudiebant, precibus emittens, quod epistolis eius ostenditur ut disciplinam singulorum susciperent, ipsique dictata exercentibus darent. Et Juvenalis:

-Donec peragat dictata magistri

Omnia.

9. tentabo eos vilibus odijs, affectionibus, &c.] Ita ex MS. 2. Vaticanis, pro eo quod erat: vilibus inedijs, defectionibus, quæ substituta videntur ab illis qui putabant non

posse competere in Martyras odia; verum quandoquidem sequitur: aut inter se dissensionibus, illud magis convenit, maxime quum etiam S. Cypriano contentiones, emulationes, convitia & maledicta in confessoribus reprehendat, ubi supra.

10. & in ima sua delitescat.] Non dissimilis est (ut adnotat Rhen.) sententia ei quæ in Valentiniâ legitur. Abscondat se itaque serpens quantum potest, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, altè habitet, in cæca detrudatur, &c. Alludit autem Auctor ad serpentes, qui excantationibus fugari solent aut suffumigationibus, atque hoc est quod dicit: excantatus vel effumigatus. Nam Plinio teste lib. 8. cap. 32. accensis cornibus cerui odore fugantur, & maxime stracis uti est apud eundem lib. 10. c. 70. Incantationis autem aspidis fit mentio Psal. 57.

11. ut vos committat.] Sapè (inquit Rhenan.) iam diximus committendi verbum ad contentiones & certamen referri, unde gladiatores propriè committuntur. Metaphoricè Juvenalis: Committit vates. Cypri. epist. 14. l. 3. (quæ est in nostra editione x.) Et gloriosos servos Dei cum Dei sacerdote committunt. Est autem hæc etiam Jureconsultorum vox: committere, pro ad certamen provocare. Hinc Ulpianus ad legem Aquiliam Digest. lib. 9. Planè, inquit, si cadentem vulneravit, erit Aquilia locus, nisi domino committente hoc factum sit. Aliam remotionem huius vocis significationem etiam Jureconsultorum habes infra lib. de Cor. militis cap. 2. num. 22. De utraque eodem loco infra Tom. 3. libro de Præscriptione, adu. hæres. capite 24. num. 193.

12. à martyribus in carcere exorare consueverunt.] Alludit (inquit idem Rhenan.) ad consuetudinem eius temporis, quæ etiam ætate Cypriani in usu fuit, quemadmodum ex eius viri scriptis colligitur. Siquidem lapsi, id est, qui sacrificauerant idolis, aut necessitatem sacrificandi pecunia apud magistratum redemerant, accepta securitatis singrapha, quod recipere in Ecclesiâ ante confessionem exomologesinque & pœnitentiam, ante impositionem manus Episcopi & cleri, solebant à Martyribus & Confessoribus in carcere constitutis libellum extorquere deprecatorium, per quem in Ecclesiâ recipi iuberentur. Sic enim lapsi quidam importunius precibus Martyres & Confessores fatigabant, corrumpebantque. Vocabant autem veteres: Dare pacem, recipere in ius communicationis. In hunc igitur sensum accipi debet quod hic Tertullianus scribit: Quam pacem quidam in Ecclesiâ non habentes. Item: ut si fortè & alijs præstare possitis. Vide quanta fuerit olim Martyrum etiam dum viventium auctoritas. Sanè Cyprianus epist. 15. lib. 3. (quæ est in nostra editione xi.) in bello quorundam Martyrum pro lapsis scripto hoc insertum paulo incautus fuisse testatur: Communicet ille cum suis. Nam addi debebat qui nam sui. Proinde idem sanctissimus vir scribit sub antecessoribus suis id semper observatum, ut Diaconi ad carcerem commeantes, martyrum desideria consilijs suis & scripturarum præceptis gubernarent: his enim illic verbis utitur. Nos ad dictam xi. epist. S. Cypriani, quæ Confessoribus & Martyribus inscribitur, addimus; pertinere istam pacem, quam lapsi à Martyribus in carcere exorabant; ad usum indulgentiarum in Ecclesiâ iam tum captum, immò & ab Apostolo Paulo in Corinthiâ illam, idque integris illic Adnotationibus nostris.

CAP. II.

13. Cetera æquè animi impedimenta; &c.] Caput hoc inscripsimus: De comparatione carceris cum mundo. In quo etiam locos infra citatos imitatur S. Cyprianus.

14. parentes vestri.] Parentum (inquit Rhenan.) vocabulo, ni fallor, quoslibet cognatos intelligit, quemadmodum & hodie vulgus Italicum & Gallorum loquitur. Planè autem ita esse patet ex libro de Carne Christi, ubi de matre & fratribus sic loquitur: cum indignatio parentes non neget, sed obiurget.

15. exisse vos è carcere, quàm in carcerem introisse.] Simile sermonis (inquit Rhenan.) schema est in Valentiniâ:

Vbi superindui potuit quàm despoliari. Inspice quod illic adnotauimus. *Fauftus Manichæus apud Aurel. Augustinus.* Ex iordane nobis erit factus Iesus Dei filius, quàm natus ex vtero mulieris. *Ammian. Marcellinus lib. 27.* de ingratitudine populi in Symmachii profectū vrbis sub Valentiniano & Gratiano Aug. loquens: Quidam plebeius (inquit) sinxerat illum dixisse sine indice villo vel teste, libenter se viuo proprio calcarias extinguerum, quàm id venditurum pretijs quibus sperabatur. Item alibi Ambrosius in libro de Viduis: Vitem facili tondere quàm premere. Tamen aduerbium Magis quod precedit, hic repeti potest, id quod in hoc scriptore nouum non est, ut plus semel monuimus. Atqui pro: grauiore cathenas induit mundus, MS. tres legunt: imbuat. sed illud placet.

16. Proconsulis.] Ex hoc loco (inquit idem Rhen.) licet animaduertere Martyres istos, ad quos scribit Tertullianus, vel in ipsa Carthagine, vel aliquo oppido vicino captiuos fuisse detentos, certe in provincia Carthaginiensi. Nam Carthagine Proconsulem fuisse declarat Pontius Diaconus in vita B. Cypriani martyris, cum inquit: Denique comprehensus à ministris Paterni Proconsulis dixit. Item Galerius Proconsul dixit. Is mortuo Paterno successerat. Eratque Proconsulum magistratus olim annuus. Vnde illud Cypriani: Eant (inquit) nunc magistratus & Consules siue Proconsules annue dignitatis insignibus, & duodecim fascibus glorientur. Neminem vero lateat administrationes Prouinciarum subinde mutatas fuisse pro libidine Caesarum. Equidem in libro, cui titulus *Notitia Occidentis*, nominatim fit mentio Proconsulis Africae, sub cuius dispositione fuerit Prouincia Consularis, & legati eius duo. Is, ut videtur, apud Carthaginem tanquam Metropolim habitabat. Vnde & Carthaginiensis Africa dicitur eodem libro. Atqui ex his probatur esse verissimum, quod S. August. tradit (ni fallor lib. de Grammatica) tam veteribus usitatam fuisse vocem: Proconsul, atque Proconsule. Eius verba sunt: Ab E littera vocali nullum Latinum, nisi iuncta prepositione, Masculinum inuenitur, ut Proconsule, Pro Pratore. Ergo iuncta prepositione sunt Latina, ut dixi: Pro Pratore, Pro Quaestore. Nam veteres Nominatiuo casu: Proconsul dicebant, attendentes nullum nomen Latinum exire in E litteram, Nominatiuo casu generis Masculini.

17. in custodiarium.] Eodem modo legit lib. adu. Iud. cap. 4. illud Isaie 1. sicut custodiarium in cucumerario, quod ibidem cap. 13. vertit: casula, seu: specula; à custodia illud deriuans.

18. Habet tenebras, &c.] Recte adnotauit similes locos Rhenanus ex S. Cypriani Epist. 81. ad Rogationum iuniorum et ceteros Confessores, ac 16. ad Moysen, Maximum & ceteros Confessores: O beatum carcerem (inquit) quem illustrauit vestra praesentia. O beatum carcerem, qui homines Dei mittit ad caelum. O tenebras lucidiore sole ipso, & luce hac mundi clariore, ubi modò constituta sunt Dei templa, & sanctificata diuinis confessionibus membra vestra. Et alibi: illuminabat mundum sol oriens & luna decurrens, sed vobis idem qui solem fecit & lunam, maius in carcere lumen fuit, & in corde ac mentibus vestris Christi claritudo resplendens, horribiles carceris atque funestas penalis loci tenebras aeterna illa & candida luce radiauit.

19. Triste illic expirat.] Triste (inquit Rhenan.) id est res tristis, graueolentia videlicet, illic expirat, si accipias verbum expirat, ut sit absolutum. Atqui quod sequitur: de iudicijs ipsis iudicaturi, etiam imitatur S. Cypri. epist. 81.

20. Christianus etiam extra carcerem seculo renuntiavit.] Verissima est (inquit idem Rhenan.) Cypriani sententia de Habitu virginum: Ceterum quaecunque terrena sunt, in seculo accepta, & hic cum seculo remansura, tam contemni debent, quàm mundus ipse contemnitur; cuius pompis & delicijs iam tunc renuntiavimus, quum meliore transgressu ad Dominum venimus. Verum de hac renuntiatione in Baptismo facta, latius infra T. 3. lib. de Baptismo.

21. si non plus, &c.] Emendauimus (inquit Rhenanus) ex Gorziensi, si non plus in carcere spiritus acquirit, quàm caro amittit. Si acquirit, pro: An acquirit. Similem locutionem habes in Apologetico: Constat igitur prius, si isti, quibus sacrificatur, salutem Imperatoribus vel cuilibet homini impertiri possunt, pro: An isti possunt.

22. per curam Ecclesiae, &c.] Meminit huius consuetudinis Origenes hom. 11. in Leuiticum. Exstat etiam hac de re Epist. S. Cypri. 37. hoc titulo: Ad clerum, ut Confessoribus in carcere consistentibus omnis humanitas praebeatur. Cui consentiunt quae hic adnotat Rhenan. partim ex eadem epistola in hac verba: Veteres non solum externam curam corporibus Martyrum impendebant, sed & spiritum eorum & sanctum animi propositum precibus adiuuabant, quum publice in sacrificio, quam nos hodie Missam dicimus, tum priuatim in secessu Deum comprecantes. Sic enim D. Cyprianus epist. 16. ad Confessores & Martyres captiuos scribit: Et nos quidem (inquit) vestri diebus ac noctibus memores, & quando in sacrificijs precem cum pluribus facimus, & quum in secessu priuatis precibus oramus, coronis ac laudibus vestris plenam Domini fauentiam postulamus. Haec ille. Verum enimvero ut adhuc in carne constituti Martyres veteribus illis Christianis curae erant, sic nec defunctos negligebant. Diebus enim quibus excefferant, commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrabant; nec id semel, sed singulis quibusque annis faciebant, cum videlicet is dies recurrisset, aut statum commemorandarum passionum tempus aduenisset. Hoc nos docet Sanctiss. Cyprianus epist. 6. num. 7. nunc. 37. in hunc modum scribens: Denique & dies eorum (inquit) quibus excedunt adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Quamquam Tertullus fidelissimus & deuotissimus frater noster inter cetera sollicitudinem & curam suam cum fratribus in omni obsequio operationis impartit; qui nec illic circa curam corporum deest (sic enim eam periodum legendam arbitror) scribat ac significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosae mortis exitu transeunt, ut & celebrentur hic à nobis Oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum, quae citò vobiscum Domino prosperante celebrabimus. Rursum epistola 34. hoc idem attestatur: Sacrificia pro eis (inquit) semper ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione celebramus. Haec ille. Ceterum quod dicit sacrificia pro Martyribus offerri, sic accipiendum, ni fallor, ut pro eis, idem valeat quod pro commemoratione eorum (nam id prioris loci mox citati verba aperte continent.) veluti passione siue commemoratione passionis occasionem oblationibus & sacrificijs dante. Quae res inde nata videtur, quod in sacrificio iuxta ritum veteris Ecclesiae (quemadmodum in Adnotationibus libri de Cor. milit. ex Magno Dionysio obiter indicauimus) post Symbolum decantatum, & mutuam pacis consolationem, nomina pie defunctorum conscripta in scheda, quam in altari ponebant, recitabantur, non sine laude & praconio virtutum quae in uiuentibus eluxerant. Quo honore, bene Deus, qui digniores, quàm qui pro Christo sanguinem suum fudissent? Hanc Ecclesiae consuetudinem indicat Aur. August. libro de Virgin. Perhibet enim (inquit) praclarissimum testimonium Ecclesiastica auctoritas, in qua fidelibus notum est, quo loco Martyres, & quo defuncte Sanctimonialia ad altaris Sacramenta recitentur. Haec ille. Gratulatoriae ergo preces erant potius, quibus quum Deo gratias agebant, qui Martyribus eam gratiam & tantum dignationis contulisset; tum simile donum caelitus sibi dari concordibus votis flagitabant, ceu adhuc canit Ecclesia, Gaudemus in Domino, & reliqua. Id confirmat idem Aur. August. Tractatu 84. in Euangelium Ioannis, De Martyribus & altari disputans, his verbis: Ideo quippe ad ipsam (inquit) mensam, non sic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigijs adhaereamus. Haec August. Aliter pro Lapsis qui iam reconciliari essent, offerebatur, qui post confessionem criminis & factam penitentiam, exomologestique

que finitam, post manus impositionem Episcopi & cleri hoc consequerentur, ut facta pro eis oblatione & precatione Eucharistiam acciperent. Id ea etas etiam vocabat Offerre nomen alium, fortasse quod eius nomen recitaretur commendandum communibus Ecclesie precibus, descriptum in scheda, atque in altari positum. Quod monere libuit, ut locum Cypriani intelligas in epist. 10. lib. 3. cum dicit: Ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum. Porro huiusmodi memoria Martyrum siue commemorationes pepererunt nobis postea festos dies plerisque, quibus hodie Christiani feriantur. Sanè ipsum Commemorationis vocabulum Ecclesia retinuit, sacrificijs nostris non ignotum. Nos vero eadem adnotauimus, & multo plura, tum secundo loco ad epist. 37. de Commemoratione Martyrum quotidiana in Martyrologio, num. 7. tum tertio quoque ad Epist. 34. de sacrificijs in anniuersarijs Martyrum, ac quotidiana eorundem commemoratione in sacrificio num. 12. & 13. tum denique ad epist. x. quarto loco hic citatam de sacro *ἡμέρας*, n. 9. ad quos locos compendij gratia Lectorem remittimus.

23. agapen fratrum. Intelligit (inquit Rhen.) eleemosynam, quod ex charitate cum egente debeat fieri communicatio. Hinc legimus apud Cyprianum lib. 3. ad Quirinum: Agapen & dilectionem fraternam religiose & firmiter exercendam. Utitur Latino vocabulo Tertullianus, adu. Marc. lib. 1. De alienis bonis (inquit) ob alium Deum nomine eleemosynæ & dilectionis operatur. Hieron. ad Eustochium, loquens de illis qui laudem humanam eleemosynis largiendis venantur: Cum manum (inquit) egenti porrexerint, buccinant, quum ad agapen vocauerint, præco conducitur. Huiusmodi Agapen Germani Spendam vocant. Erat & cæna genus pro pauperibus refocillandis, qualis apud Gentiles sportula, à sportulantes fratres dixit Cyprianus nouo verbo Tertullianus Apolog. c. 39. Cæna nostra (inquit) de nomine rationem suam ostendit. Vocatur Agape id quod dilectio penes Græcos est. quantiscunque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quosque refrigerio isto iuuamus. Et reliqua. Porro fratrum nomine Christianos intelligi sæpè iam monuimus. Tertull. in Apolog. cap. mox. citato de Christianis loquens: Quanto dignius (inquit) fratres & dicuntur & habentur, qui vnum patrem Deum agnouerunt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantia eiusdem ad vnam lucem expauerint veritatis. Unde fraternitas pro collegio fratrum siue Ecclesia, Cypriano, Hieron. Ambrosio & etiam nostro Tertulliano. Videat autem Lector eadem quoque de re Adnot. nostras ad lib. 3. Testimon. num. 11. & Apolog. 39. cap. num. 517.

24. Non vides alienos Deos. Nam (ut etiam adnotauit Rhen.) etate Tertulliani adhuc vigeat Paganismus.

25. non sollempnes Nationum dies. Hic etiam rectè adnotat, qui dies sollempnes Nationum vocantur, hoc pacto describit lib. de Corona militis. Sollemnitates, postulatrices, falsa vota; ubi de his latius, quemadmodum etiam Apologetici cap. 35. num. 461. Hic sufficiat quod Rhenanus adnotat aptè dici ab Auctore: non nidoribus spurcis verberaris, eo quod in sollempnibus Cesarum Gentiles (uti est loco dicto Apolog.) focos & choros in publicum educebant, vicatim epulabantur, ciuitatem tabernæ habitu abolefaciebant. Huc facit quod ad Vxorem lib. 2. de dispari coniugio loquens, ubi videlicet mulier Christiana Gentili marito nupta est: Moratur (inquit) Dei ancilla cum laribus alienis. Et inter illos, omnibus honoribus dæmonum, omnibus sollempnibus Regum, incipiente anno, incipiente mense, nido re thuris agitabitur.

27. non clamoribus spectaculorum, &c. Etiam ea que hic adnotauit Rhenanus, ad lib. de Spectaculis adiecimus.

27. non in loca libidinum publicarum. Similiter (adnotante Rhen.) Hieronymus ad Geroniam: Ut in eo se putet esse laudabilem, si scortis melior sit, si publicarum libidinum victimas superet. Tertull. lib. de Pallio: Lupas popularium

libidinum nundinas vocat.

28. stadia opaca aut porticus, &c. Stadia (uti rectè adnotauit Rhen.) hoc est exercitij loca domestica ad gestationem, cursum, & deambulationem apta, reddébant opaca sylue, quæ inter porticus in edificijs veterum consita erant; nempe nunc platanones, nunc daphnones, hoc est plataneta & laureta, in quibus etiam prodeambulare solebant veteres. Eratque stadium viridario coniunctum. De huiusmodi stadio sentit Tertullianus lib. de Cor. milit. cum ait: Sufannam in stadio mariti non velatam deambulasse. Quo loco de stadiatis porticibus Vitruium facere mentionem scripsit lib. 5.

29. Nihil crus sentit in neruo. Similiter S. Cyprianus dicta epist. 81. Positus in neruo, ac ferro fuit, sed solutus ac liber spiritus mansit. Vbi & quid neruus, tractauimus in Adn. num. 7.

30. Vbi autem erit cortuum, &c. Auctor verba Evangeliste transponit ut melius instituto seruiant. nam apud Mattheum est: Vbi thesaurus tuus, ibi & cortuum.

CAP. IIII.

31. Sit nunc Benedicti, &c. Capiti huic titulum dedimus: De carceris molestijs æquanimiter sustinendis coronæ æternitatis ergò. In quo etiam illum S. Cyprianus imitatur locis mox citatis. Atqui (uti adnotat Rhen.) illud: Sit, hic concedentis est, non imprecantis. Ut illud libro de Car. Christi: Sit planè stultum, si de nostro sensu iudicemus Deum.

32. cum in Sacramenti verba respondimus. De response ad verba Sacramenti Baptismi, seu Sacramento, id est, iurando in eodem præstito, tractatum ad lib. de Baptis. Tom. 3. differimus.

33. Nemo miles ad bellum, &c. Hunc totum locum (uti adnotat Rhen.) imitatus est B. Hieronymus, cum epistolam illam ad Heliodorum scriberet. Inquit enim: Quid facis in paterna domo delicate miles? Vbi vallum? ubi fossa? ubi hyems acta sub pellibus?

34. nec de cubiculo in aciem. Hieronymus ibidem: Et tu mihi de cubiculo ad aciem, tu de umbra egredieris ad solem.

35. sed de papilionibus expeditis & substrictis. Expediuntur (inquit Rhen.) tentoria inuoluta, quum in castris extenduntur, & funiculis ad palos terræ infixos substringuntur. alliganturque, ne vento disturbante corruant.

36. & imbonitas. Imbonitatis (inquit Rhen.) vocabulo rursus utitur in libro de Exhort. castit. Alioquin res (inquit) & viris & fœminis eadem imbonitate ad matrimonium & stuprum commixtio carnis licitandum. Porro eadem forma dixit imbonitatem quæ in alienum, pro non alieno, lib. 4. adu. Marc. Rectè autem paulopost restituit idem ex Gorziensi cod. Etiam in pace, labore & incommodis.

37. in armis deambulando. Vegetius (secundum quod idem citat) penult. cap. lib. 1. Præterea vetus (inquit) consuetudo permansit, & Dni Augusti atque Adriani constitutionibus præcaueretur, ut in mense tam equites quam pedites educantur ambulatum. Hoc enim verbo hoc exercitij genus nominant, & decem millia passuum armati instructique omnibus telis pedites militari gradu ire ac redire iubebantur in castra, ita ut aliqua itinertia partem cursu alacriore conficerent. Rursum lib. secundo: Iuniores quidem (inquit) & noui milites manè ac post meridem ad omne genus exercebantur armorum. Veteres autem & eruditi, sine intermissione semel in die exercebantur in armis. Ibidem docet tempestate vel ventis aëre turbato milites sub tecto, quod ex cannis, vlna, vel culmo constabat, armis erudiri solitos. Ceteris autem & hybernis diebus si nives pluuiæque cessarent, exerceri cogebantur in campo; ne intermissa consuetudine, animi militum debilitarentur & corpora. Syluam cadere, onera portare, fossas transilire, in mari vel in fluminibus natare, gradu pleno ambulare, vel etiam armatos cum sarcinis suis currere frequentissime conuenit, ut quotidiani vsus laboris in pace, difficilis non videatur in bello.

38. testudinem deliccando.] Rectè quidem Rhen. De mæteria (inquit) ac tabulatis testudo contextitur, quæ ne exuratur incendio, corpi vel calicij, centonibusque vestitur. Auctor Vegetius. Robustiora sunt ligna, dum exsiccantur. Sed his adijciendum, quod Testudo instrumentum fuerit bellicum simile penè arietem, de quo libro de Pallio, dicta à similitudine reptilis, quod Testudinem dicimus, eo quod trabem funiculis suspensam, quæ falsè dicebatur modo, sicut suum caput reptile nunc exerat, nunc reducat. Addunt autem MS. 3. desudando. sed videtur loco huic non convenire.

39. & sole ad cælum.] Adnotat. Rhenan. accipi hic cælum pro vento seu aëre frigidiore; alioqui (inquit) possit etiam legi: gelu. Ego vero magis crediderim accipi pro aëre crasso seu obscuro, iuxta illud Ciceronis lib. 2. de Divin. De cælo aëris crassitudo; & quod apertius idem habet Tuscul. qu. libro 1. Cælum hoc, in quo nubes, imbres, ventique aguntur, quod & humidum & caliginosum est propter exhalationes terræ. Quod pertinere videtur & illud Virgilij Aeneid.

- Cælumque serenat.

40. de tunica ad lorica.] Hieron. (uti ab eodem citatur) ad Heliodorum: Corpus adjectum tunicis lorica onus non fert. Atqui de Tunica vide lib. de Pallio cap. 1. & ibidem Adnot. nostras num. 4.

41. Proinde vos Benedicite.] Inter captivos (inquit Rhenan.) istos Christianos erant & mulieres quas nunc compellat, benedictas vocando. Eodem fœminas vocabulo ornat lib. de Cultu fœmin. cap. 4. 5. 9. & 13. Sic Cyprianus in epistola quadam ad Martyres: Beatus autem fœminas (inquit) saluto, quæ vobiscum sunt in eadem confessionis gloria constitutæ; & reliqua. Idem in sermone de Lapsis: Cum triumphantibus viris (inquit) & fœmine veniunt, quæ cum seculo dimicantes sexum quoque vicerunt.

42. Agonothetes Deus vivus, &c.] Vel ex eo quod hic & Deum vivum agnoscit, Patrem nempe, & max Spiritum sanctum, & deinde Christum Iesum, atque adeo tres in Trinitate personas, patet hunc librum conscriptum priusquam in Montani heresim laberetur, quippe qui Hieron. teste contrarium senserit, uti lib. de Trinitate latius infra Tom. 5. Atqui quid officij habuerint Agonothetes, Xystarches, & Epistates, ex Rhenano & alijs infra latius libro de Spectaculis. Sicut & de Brabio, & Athletarum tum vñctione, tum strictiori disciplina. Huic loco sufficiunt similes S. Hieronymi loci, alter ad Lucinum: Non est invidus Agonotheta noster. alter lib. ad Pammach. contra errores Ioannis Hierosolymitani: Cur ergo ista queruntur (inquit) cur tu omisiss super quibus pugna est, de scammate & loco certaminis egrediens, in peregrinus & longè alienis disputationibus immoraris?

43. corona æternitatis, brabium, &c.] Sive brabium legas ad imitationem Græcæ vocis sive brauium, uti habent 3. MS. perinde est. Similiter autem S. Cyprian. epist. 9. ad martyres & Confessores de Mappalico, explicans illud Psalm. 115. Pretiosa est in conspectu Domini mors iustorum eius. Pretiosa (inquit) mors hæc est, quæ emit immortalitatem pretio sanguinis sui, quæ accepit coronam. de consummatione virtutis. Et sub finem eiusdem Epistole: sed & ipse (Dominus nempe) luctatur in nobis, ipse congregatur, ipse in certamine agonis nostri & coronat pariter & coronatur. Latius autem id ipsum repetit Tertull. sub finem lib. de Coron. milit. allegans & scripturas, quæ coronam vitæ promittunt & representant, Apocalyps. 3. 4. 6. 10. ac 2. Tim. 4. Loca adnotandi contra modernos adversarios, qui vitam æternam non nisi gratiam esse volunt, non coronam aut mercedem. Item contra eos qui merita sanctorum Martyrum negant, quia correlatiua sunt merita & merces, certamen legitimum & corona, quemadmodum adigimus lib. de Pœnit. & latius tractabimus lib. sequenti de Patientia.

44. gloria in sæcula sæculorum.] Alludit ad illud Psalm. 83. In sæcula sæculorum laudabunt te.

CAP. IIII.

45. Scimus ex Dominico præcepto, &c.] Inscriptio-

nem huius capitis fecimus: Quod animari debeant Martyres exemplis eorum, qui famæ & gloriæ solius caussa multa perpessi sunt, in quo multa eadem repetit, quæ supra videre est Apologetici capite VI. Atqui ex MS. 3. legimus: Ipiritum promptum esse, & ex coniectura Joannis Harrisij nec iam de incommodis carceris. Vbi esse, & de, recens adiecimus.

46. Timebit forsitan caro gladium grauem, &c.] Cyprianus (inquit Rhenan.) adversus Demetrianum genera tormentorum enumerans, quibus ille Christianos affligeret: innocuos (inquit) iustos, Deo caros, domo priuos, patrimonio spoliatos, cathenis premis, carcere includis; gladio, bestijs, ignibus, punit. Rursum lib. de Lapsis: Sed cum durissimi indicis recrudescente sententia, iam fatigatum nunc flagella scinderent, nunc contunderent fustes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret, caro me in colluctatione deseruit, infirmitas viscerum cessit. Idem alijs multis locis supplicia Christianorum commemorat. Videat ibidem Lector Adnot. nostras ad posteriorem librum num. 52. item in Tertull. Apolog. alicubi, ubi & ult. cap. etiam supplicij meminit, ob quod Sarmentitij ac Semaxij dicebantur, eo quod ad stipitem dimidij axis reuincti Sarmentorum ambitu exurerentur. Qui lib. ad Scapulam cap. ult. indicat primum dumtaxat gladiotenus animaduersum in Christianos, quamquam ab illo etiam cremarentur.

47. Lucretia.] Exemplum hoc notius quàm ut explicari debeat Repetit id ipsum sub finem lib. de Castit.

48. Mutius.] De hoc vide Adnot. nostras in Apolog. cap. ult. num. 621.

49. Heraclitus.] Is (uti adnotat Rhenan.) laborabat morbo aque intercutis, & cum obscuris sermonibus assuetus homo, querendum è medicis iussisset; Non ex imbre siccitatem facere possent, & ab illis ludi se putantibus fuisset neglectus; tandem ipsi sibi subvenire volens, bubulis excrementis oblini corpus suum instatum, fecit. Est apud Laërtium.

50. Empedocles.] De hoc vide Adnot. nostras in lib. de Pallio cap. 4. num. 83. Meminit item eiusdem infra Tom. 3. lib. de Anima.

51. Peregrinus, &c.] Hæc lectio (inquit Rhenan.) mihi non displicet. Nam auctor est Eusebius Casariensis in Chronicis, quæ nobis vertit Hieronymus, anno Imperij Marci Antonini Veri quinto, si non fallit numerus, Peregrinum Philosophum apud Pisas, rogo quem ex lignis composuerat incenso, semet superieciisse. Rectè ergo Tertullianus dixit: non olim, ad antiqua exempla, quæ promissit, respiciens; cum ipse vixeret sub Severo, qui post Marcum Antoninum anno 33. regnare cepit. Peregrini vitam descripsit Lucianus in libello cui titulus: De morte Peregrini. Qui se testatur interfuisse spectaculo, cum in ignem se Proteus inijceret, hoc pacto gloriam aucupaturus; id enim vocabuli sibi indiderat impostor ille. Ammianus Marcellin. lib. 29. loquens de crudelitæ Valentis Augusti; Ducti universi (inquit) flebiliter iugulantur præter Simonidem; quem solum sanus ille sententia lator, efferatus ob constantiam grauem, iusserat flammis exuri; qui vitam ut dominam fugitans rabidam, ridens subitas momentorum ruinas, immobilis conflagrauit, Peregrinum illum imitatus Protea cognomine Philosophum clarum, qui cum mundo digredi statuisset, Olympia quinquennali certamine sub Græciæ conspectu totius, ascenso rogo quem ipse construxit, flammis absumptus est. Aul. Gellius Noct. Attic. lib. Philosophum (inquit) nomine Peregrinum, cui postea cognomentum Proteus factum est, virum grauem atque constantem vidimus, cum Athenis essemus, diuersantem in quodam tugurio extra urbem, & reliqua.

52. Dido.] Vide hæc Adnot. nostras in ult. cap. Apolog. num. 622.

53. Asdrubalis vxor.] Refert hoc Livius lib. 51. ad vxorem Asdrubalis illius, qui tertio bello Punico à Scipione Emiliano victus est.

54. Regulus.] Carthaginienses Attilium Regulum (uti adnotat Rhenan.) palpebris resectis dolio inclusum quo undique acuti stimuli eminebant, necauerunt. Ex Valerio Max. L. Florus

L. Florus de Regulo: Nec ultimo sine carceris seu crucis supplicio deformat a maiestas. Seneca compluribus locis crucem Reguli commemorat.

55. Cleopatra.] Hæc historia notior est quam ut commentario sit opus. De regno eius cum Augusto vide lib. adu. Iud. cap. 8. Adnotat autem Isidorus Etymol. li. 12. c. 5. quod perierit Cleopatra genere assidis quæ Ispalis dicitur, eò quod somno necet, atque adeo quod in mortem quasi somno soluta sit.

56. meretrix Atheniensis.] Exemplum hoc meretricis Atticæ habes etiam supra, Apolog. cap. ult. & in Adnot. nostris ibidem nn. 624.

57. Nam quæ hodie apud Lacedæmonas, &c.] Sic ex MS. pro: Nam quod. Atqui (vbi adnotauit ad ca. ult. Apolog. hic citatum à Rhenano Franciscus Zephyrus) Ἀλκιμα Ἰπποκρίτης illam Spartanorum puerorum celebravit Cicero in Tusculanis. Alludit ad eandem illud Stratonici Apophthegma apud Athenæum: Quod si quis horum, inquit, delinquat, plagis afficiatur Lacedæmonij. Cui addit Eustathius interpres. Hoc obiter dictum festiuus est, ob Ἀλκιμα Ἰπποκρίτης Spartanis sollemnibus etiā festis celebrem.

58. Tanti vitreum, quanti verum margaritum?] Proverbij huius explicationem ad Prolegomena nostra differimus, ne hic proluxiores simus.

C A P. V.

59. Omitto nunc gloriæ causam, &c.] Hoc caput inscripsimus: De exemplis illorum qui affectatione quadā omnia tormenta conculcant. quod quum de Gladiatoribus agat, id etiam differimus ad librum de Spectaculis.

60. Iam & ad ignes quidam se autorauerunt.] Autorate (vbi recte adnotauit Rhen.) obligare est, unde autoramen-

tum, & milites autorati. Atqui alludere videtur ad Herculem, de quo S. Cyprian. lib. Quod idola non sint Dij, sic loquitur: Hercules ut hominem exuat, Oeteis ignibus concrematur. Quod confirmatur etiam Festi testimonio, qui eum dici astrologum eo die se flammis iniectisse, quo solis erat obscuritas futura. Quod quum fecerit, ut opinio suæ diuinitatis confirmaretur, recte adfectioni tribuit Auctor. Qui præterea istud recenseant, citam Adnot. nostris in dictum locum nn. 6. & exstat eius rei historia apud Philostratum in Heroicis cap. 16. Planè autem ad loci huius intellectum facit, quod supra habet Auctor Apol. cap. 16. & qui viuus ardebat, Herculem induerat.

C A P. VI.

61. Sed hæc exempla, &c.] Vltimum hoc caput inscripsimus: De conditionis humanæ contemplatione. Quem etiam locum alicubi imitatur S. Cyprianus.

62. & in medijs ciuitatibus elapsæ caueis.] Hic venit mihi, inquit Rhenanus, in mentem duarum seuarum Ursarum, quas Valentinianus Augustus alebat, earum caueas iuxta cubiculum suum locare solitus. Alteri Mice aureæ nomen erat, alteri Innocentiæ. Multos illæ mortales lamarunt, ridente & hac sequit̃a delectato principe. Auctor Ammian. Marcellinus lib. 39.

63. quantæ qualēsque personæ, &c.] Recte illud hominis caussa interpretatur Rhenanus de Imperatore: nam alludit ad exitus, seu occasiones eorum, qui contrarijs partibus Seueri Imperatoris fuerant, de quibus in hæc verba Apolog. c. 35. Sed & qui nunc scelestorum partium socij aut plausores quotidie reuelantur, post vindemiam parricidarum racematio superstes, de quibus ibidem latius n. 478. & 479. Hoc unum hic adijciam, hinc apparere eodem fere tempore scriptum hunc librum, quo Apologisticus.

ARGVMENTVM IACOBI PAMELII IN
LIBRVM DE PATIENTIA.



ATIENTIÆ encomium descripturus Tertullianus, post captatam Lectoris beneuolentiam, non alijs modò, sed sibi potissimum eam exoptans, suspirans & inuocans.

Primum deducit, etiam eos qui ceca viuunt Philosophos, omnem sapientiæ ostentationem de Patientia præ se ferre.

Deinde Deum ipsum Patientiæ nobis exemplum esse debere, vsque adeò ut plures Dominum idcirco non credant, quia sæculo iratum tamdiu nesciunt.

Item & Christum Dominum inter homines in terris, qui etsi homo, nihil tamen de impatientia hominis imitatus est.

Quid? quod & obsequij disciplina, quam nobis alij exhibent, quàmque nos Deo debemus, commendationem & præscriptionem Patientiæ in se contineat.

Imò quantum sit bonum Patientia, ex contrario impatientia malo magis illuminari; cuius natales in ipso diabolo deprehenduntur, qui quia patienter hominem non tulerat, angelus perditionis factus est, & eundem hominem primò conuenta & infecta muliere in crimen aduocauit. Qui antea innocens ubi semel impatientia succidit, desinit Deo sapere, ex qua proinde matrix facta est in omne delictum.

Porro Patientiam eam esse, quæ fidem antecedit & subsequatur, exemplo Abrahamæ comprobatur, & Christi, quum gratiam legi superduxit, fidem Patientia ira prohibita composuit.

Atque adeò contemptum diuitiarum, & cupiditatum detractionem, Patientiæ exercitationem esse. Eadem quoque fieri, ut minoribus delictis, ut potè maledicti, & linguæ amaritudinis non lædamur, quum æquanimiter iniuriam patimur.

In amissione item nostrorum Patientia dolorem temperari.

Vltionis item libidinem aut gloriæ aut malitiæ causa, numquam non Domino odiosam, qui sibi vindictam arrogat, Patientia excludi.

Multiplicia præterea mali spiritus incitamenta & domi & foris nostra æquanimitate eludi, & in-